

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538919

LXVIII. Dissertatio Chirurgica De Hernia Ventrali.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16590

LXVIII

DISSERTATIO

CHIRURGICA

DE

HERNIA VENTRALI.

Quam tuebatur

BEAT. IGNAT. LA CHAUSSE,

BRUNTRUTANUS - RAURACUS.

Argentorati 29 Octobris 1746.

Z 3



EXVIII
DISSERTATIO
CHIRURGICA
DE
HERNIA VENTRALI
Quam Nobiliss.
BRATIGNATI LA GRASSE,
BRUNNENBERG-BOHEMUS
Argentoradii apud Johann. 1742

2



§. I.

Viscera chylopxa, ventriculus nempe, epiploon, intestina, hepar, lien cum reliquis, licet in abdomine ultro citroque fluctuent; vinculis tamen propriis sua sede coercentur &, ne dimota, foras prolabantur, cavis tegumentorum, musculorum abdominalium, peritonæi, tanquam totidem saccis, includuntur.

§. II.

Molles hæ partes (§. I.) talem, in infimo ventre, situm obtinent, ut, reciprocis septi transversi preffionibus expositæ, deorsum antrorsumque protrudantur: quo quidem contingente, involucria ambientia, (§. I.) contentis in ea incurrentibus, cedunt, extrorsum prominent. At cum aponeuroticæ, musculosæ, membranacæ indolis sint horum velamentorum fibræ, consequenter elasticitate gaudeant; hæ eadem vi, qua pressæ angebantur, reagunt, simulac causa comprimens cessat: sed eo ipso viscera abdominalia, aliis reciprocis motibus, ab ipsis his involucriis, sursum rursus retrorsumque abiguntur. Enimvero talis est fibris his directio, ut longitudinaliter partim, partim transversaliter, viscera, fasciarum instar, cingant; sicque, si partes contentæ in eas nitantur, ex lineis rectis, in curvas mutari, necesse sit, sique ultra modum activitatis non extenduntur, impetu desinente, in pristinum statum redeant. Secus vero, si elasticitas ipsarum naturalis superatur, tunc enim arcus hos nimium tenfos, inflexosve elongari quidem, non vero amplius in lineas rectas restitui, sed relaxari potius, aut plane rumpi, ex Physicis & Mechanicis principiis palam est.

§. III.

Partes abdomen cingentes (§. I.) intuenti, primo sese offerunt *integumenta communia*, cuticula nempe, cutis, & membrana adiposa. Et quidem ad *cutem* abdominis quod attinet, hæc à cute reliqui corporis in eo potissimum differt, quod superficies ipsius, papillulis nerveis, nec copiosis, nec distinctis adeo confita sit, quam aliis in locis, quodque portio ipsius anterior, texto tenuiori magis, sed simul strictiori gaudeat, quam posterior. Atque in genere, textum hoc, ex concursu productionum tendinosarum, arteriarum, venarum & nervorum conflatum, cavum aponeuroticum, elasticum (§. 2.) format, quod ideo mirum quantum extendi, in latitudinem ampliari, & spissitudine minime imminuta, multum dilatari potest [a].

In-

[a] Vid. acutissimi Winslowi *Exposit. Anatom. de la Struct. du corps hum. Tom. IV. Part. I. Traite du bas ventre*, §. 13.

Incumbens cuti *cuticula*, cum nihil aliud sit, quam dictorum vasorum fines ultimi, in squammulas abeuntes; [b] rete quoddam, sulcis areolisque distinctum, in abdomine constituit [c].

Subjecta vero cuti *membrana adiposa*, ex variis stratis componitur, cellulis innumeris sibi invicem adjacentibus constans, quæ oleo madidæ flexilitatem fibris largiuntur, ideoque infimum ventrem, in insignem molem augeri posse, ut immensum promineat, alia ratione patet.

§. I V.

Incisa cute atque pinguedine, (§. 3.) visui sese sistunt *musculorum abdominalium quinque paria*. Horum superior

1. *Obliquus Externus* dictus, oritur carneus à margine inferiori octo vel novem costarum interiorum, totidem digitatis initiis, oblique postea descendens tendinescit, ita quidem, ut aponeurosi, partim robusta, ossi pubis, nec non labio externo ossis ilii, à tubere usque ad spinam ipsius anteriorem superiorem inseratur, ubi cum ligamento *Fallopium* [d] communicans, spatium, *annuli* in modum apertum, pro transitu vasorum cruralium relinquit, quæ aponeurosis, antequam ad os pubis pertingat, in duas fascias, columnarum modo, fissa, *annulum*, pro transitu vasorum spermaticorum [e] in viris, ligamentorum rotundorum in fæminis, format; partim vero aponeurosi lata & debili totam regionem anteriorem abdominis tegit, quod planum tendinosum, cum illo alterius lateris ubique intertextum, in medio lineam quamdam, albam vocatam, constituere juvat. Substratus huic

2. *Obliquus Internus*, qui tendineus ab apophysibus vertebrarum lumbarium spinosis & transversis quibusdam, & ab osse sacro, carneus vero ab ambitu circulari ossis ilium & ligamento ossium pubis ortus, ascendit fibris carnosissimis semilunatis latis, atque dein tendinibus brevibus cartilaginibus costarum spuriarum & duarum verarum ultimarum adnectitur. Caro vero media tendo fit, qui in duas laminas secedens, musculis rectis vaginam imperitur, quæ quidem vagina superius etiam ab aponeurosi obliqui externi roboratur (n. 1.) accedentes postea iterum hæ laminæ & cum sui comparis tendine sese decussando, ad lineam albam constituendam suum quoque symbolum conferunt. His tecti sunt

3. *Transversi*, qui brevi tendine à processibus transversis vertebrarum lumbarium nati, carnei dein ad anteriora procedunt, annexi spinæ ossis ilium,

[b] Conf. Boerhaave in *cedro dignis Institut. medic.* §. 423.

[c] Winslow l. c. §. 14. 15.

[d] Negatum magni nominis Anatomicis. inter quos Morgagnus etiam *Advers. anat.* III. p. 2. fuit hoc ligamentum, & solum pro expansione aponeurotica hujus musculi habitum.

[e] Unicum solum annulum, ab aponeurosi obliqui externi fissa, per quem vasa spermatica transeunt, statuimus, cum non perforent duos subjacentes musculos, obliquum internum & transversum, sed sub iisdem solummodo repant. Winslow *Tom. II.* §. 94. 112.

um, ligamento ossium pubis, marginique interno cartilaginum costarum spuriarum ad xiphoiden usque cartilaginem, quæ fibræ, transversim ita incedentes, quibusdam in locis interdum diductæ sunt, interdum deficient [f], deinceps vero producuntur in tendinem, qui obliquo inferiori arte adhaerens, vaginam rectorum (n. 2.) inferius firmat; ulterius dein protensus, & musculi alterius lateris tendine irretitus, lineam albam itidem describit.

Sex horum latorum musculorum tendines, ita sibi invicem intricantur, ut non solum cujuslibet musculi tendo latus cum illo comparis coëat; sed & omnes sex ita illaqueentur, ut sectione nequaquam separari possint. Qui quidem horum tendinum per totam longitudinem abdominis concursus, atque inde formata aponeurotica expansio, *Lineæ Albæ*, vel rectius *Semilunaris* nomine, ab anatomicis salutariter consuevit. In medio lineæ hujus tendines hi in orbem acti, foramen rotundum sub forma *annuli* efficiunt, quod transitum vasis umbilicalibus in fetu concedens, eo in lucem edito, his abscissis, cum cute in cicatricem, *Umbilicum* vocatum, coalescit. Et alba hæc linea, supra umbilicum lata, infra illum angusta conspicitur. Ex eo vero, quod trium horum latorum musculorum plana, tam carnea, quam aponeurotica, (n. 1-3.) vario modo sese decussent, ut plano unius musculi carneo, alterius musculi planum tendinosum subjectum sit, & ubi planum unius carneum deficit, ibi per carneum alterius substratum suppleatur, idque in toto ambitu æqualiter ita obtineat, peculiari hoc mechanismo, ita considerari debent tria hæc musculorum paria, ut quasi forment unum faccum musculosum, circumpositum visceribus abdominalibus, qui eadem in situ suo continendo (§. 1.) æqualiter undique viscera hæc comprimere, & ab iis reciproce pressus, æqualiter itidem resistere possit. Quæ a laminis aponeuroticis obliqui inferioris secedentibus fit vagina (n. 2.), tenuis superius & transparentis, si finditur, in conspectum veniunt

4. *Recti musculi*, qui carni à cartilagine ensiformi & quintæ, sextæ, septimæ costæ cartilagine ortæ, fibris rectis tanquam fasciæ longæ utrinque ad latus lineæ albæ descendunt; tribus inscriptionibus tendinosi supra umbilicum dotatæ, ubi etiam propter latitudinem lineæ albæ secedunt, quandoque una infra eundem distinctæ, ubi albam lineam tegunt, insertione sua ad symphyse ossium pubis terminantur. Communi cum præcedentibus (n. 4.) vagina ex parte inclusi

5. *Pyramidales* à figura dicti, exigui, carnei, à margine superiori ossium pubis ascendunt ad latera rectorum, lineæ albæ hinc inde parvis tendinibus adnexi, versus umbilicum in apicem desinunt [g].

§. V.

[f] Garengot *operat. de chirurg. Tom. I. p. 252.* Platner *instit. chirurg. rat. §. 790.*

[g] Descriptionem musculorum horum eatenus solummodo tradidimus, quatenus frequentibus explicandis necessaria est, qui vero abdominalium musculorum desiderat descriptionem, ei exactam Winslow *Tom. II. §. 66.* concinnam Boerhaave *instit. med. §. 86.* ex optimis Anatomicis enucleatam Cl. Haller in *Boerb. præl. ad instit. Vol. I. p. 260.* sup-
Tom. III. A a pedi-



§. V.

Toti huic involucro (§. 4.) & præcipue transversalibus musculis (n. 3.) mediante cellulari quadam substantia adhæret sacculus membranaceus, tenuis, elasticus, pyriformis, superius compressus, in medio latior, ad inferiora in obtusum finem desinens, viscera abdominis immediate ambiens, (§. 1.) *Peritonæum* ab extensione circumcirca, quod Græcis *περιτέϊνεσθαι*, vocant. Quod, secundum recentiorum & saniorum anatomicorum sententiam, unicam solum laminam habet [b], cujus superficies interna lævis, polita; externa vero inæqualis, è congerie innumerarum cellularum, pinguedine repletarum, variaque strata formantium, conflata, tanquam apophysis præcedentis [i] haberi, atque ideo textum cellulare vocari meretur. In quibusdam locis quidem, præcipue ubi transversæ fibræ adhæret, destituitur hoc texto peritonæum. A cartilagine xiphoide usque ad umbilicum in viris, ab umbilico usque ad pubem in fœminis, crassius apparet. Apophysis hæc folliculosa, seu textum peritonæi cellulare prolongatur hinc inde in productiones quasdam, quæ, portionem suam internam membranaceam relinquentes, partes ex abdomine exeuntes comitantur, illisque involucri præbent. Sic, vasa spermatica per annulum obliqui externi (§. 4. n. 1.) ex infimo ventre egredientia, processus suos à portione hac externa nanciscuntur; quos etiam, cruralibus vasibus, sub ligamento *Fallopium* (l. c.) transeuntibus, imperit; imo pari ratione, super vesica & intestino recto processus texturæ hujus cellularis expandi [k], notum est. Non minus etiam superficies peritonæi interna visceribus abdominis prospicit, dum ea ambiens, processus sic internos format, tunicam communem iis largiendo. Imo, quod notatu dignum, in superficie interna peritonæi quandoque hinc inde vaginas, foramina cæca [l], ductus cæcos [m], reperire licet, quæ peculiaria diverticula visceribus

peditabant, qui delineationem vero eorundem videre cupit, exactiorem & splendidiorum nullibi conspiciet, quam in opere illo incomparabili, quod *Lutetia Parisiorum* sub titulo: *Essai d'Anatomie en Tableaux Imprimés*, nova arte nunc paratur; ubi *Tab. 10. §. 11.* muscoli abdominales æri incisi, vivisque coloribus picti, admirando sistuntur spectaculo.

[b] Olim multum de duplici lamina peritonæi disputatum fuit, & de visceribus in duplicatura peritonæi locatis, unanimi hodie consensu unica lamina huic membranæ tribuitur; *Winslow Tom. IV. P. I. Tr. du bas ventre §. 22.* & qui ex professo illam describit, *Hensling Diss. de Peritonæo §. 15.* quæ extat in *Halleri collect. Diss. Anatomic. Vol. I. p. 249.*

[i] *Winslow l. c. §. 24.*

[k] *Winslow l. c. §. 31. Hensling l. c. §. 5.*

[l] *Commerc. Liter. Norimb. 1735. Hebd. 14. §. 1737. Hebd. 1. E. N. C. dec. II. A. 5. p. 125. Haller. in Præf. inst. Boerb. Vol. V. P. I. p. 284.*

[m] *Nuckius Adenograph. p. 134* in omnibus fœminis productiones internas, quæ comitantur ligamenta rotunda, statuit, sed nec apud *Hallerum* l. c. nec apud alios fidem invenit.

ribus atque intestinis, ibidem sese insinuandi, locum naturalem parant. Sic fabricata hæc membrana, insigni elasticitate gaudere necessario debet; (§. 2.) hinc incredibilem extensionem pati posse, quo magis vero extenditur, eo magis crassitie augeri [n] constat. Quam ob rem maximo utique robore prædita est, quod tamen iis in locis, ubi portio cellulosa membranaeam deserit, minuitur & infirmatur.

§ VI.

Nominatæ hæc partes (§. 3. 4. 5.) abdominis viscera, epiploon, intestina, ventriculum, hepar &c. ita circumvallant, ut insigni fornice inter pectus & pubem antrorsum emineant, & quamdiu elastica vi sua agunt, undique eadem, qua à visceribus premuntur vi, resistunt; (§. 2.) sicque superficiem externam abdominis omnibus in locis æqualiter tensam, lævem, politam conservant. Sin vero elasticitate hac imminuta, vel læsa, in loco quodam laxantur, vel plane rumpuntur; (§. 2.) viscera, ob motum diaphragmatis, post tergum semper irruentia, vinculis suis laxatis, (§. 1.) eo in loco abdomen in tumorem attollunt, unde fit, ut indecore promineat, qui status partium continentium abdominis è naturali, sic in p. n. abiens, *hernia* vocari solet: quæ est tumor p. n. infimi ventris, à relaxatione, vel ruptione peritonæi, musculorum abdominalium, integumentorum, & visceribus contentis, è situ naturali ad hæc loca prolapsis, contingens [o].

§ VII.

Derivatur herniæ vox, à Latino hærere, vel ἀπό τῆς ἑρμεος Græco, germen, ramus, quia intestinum, si descendit, præcipue in scrotum, quasi ramum efficit, vel à Sabinorum hernius, quo, quicquid est durum, indigitabant, à duritie hinc ita vocata. Græcis dicitur Κήλη, à κηλέω, permulceo, per κατάχρησιν, noceo, vel χαλάω, laxo [p], quo nomine ab initio designabatur omnis tumor, qui in scroto oritur, sed dein, ad alios tumores translata hæc vox, omnes abdominis tumores denotabat. Latinis hic affectus à similitudine *Ramex* [q], *descensus*; à causa, qua semper fieri credebant, *ruptura*, *crepatura* audit. Galli ob priorem rationem illum, *une*
Def.

[n] *Heusing* l. c. §. 8.[o] *Boerhaave in suis prat. Vol. VI. p. 51.* eam, quasi dislocationem, vel luxationem partis mollis, vocat.[p] *Foesii Oeconomia Hippocrat.* voce Κήλη, p. 336.[q] *Herniæ* vocabulum, *Celsi* temporibus, in obscænis fuit, & indecorum *L. VII. C. 18.* Milites *Commodi Imperatoris*, præter alia convicia quoque eum κηλήτην, *herniosum*, vocarunt, *Dionis Hist. Rom. L. 73.* Nostro avo morbus pro indecoro habetur, & omni sollicitudine etiam medicis & chirurgis velatur, maximo sæpe cum velantium periculo, imo interitu.

Descende, Hernie, antique Hargne, appellare sueverunt. Germanis, ex Latinorum præjudicio, *ein Bruch*. alias *Leibschaden*, vocatur.

§. VIII.

Cum peritonæum viscera abdominis immediate ambiat (§. 5.) hoc primum est, quod impetum irruentium partium mollium sustinere debet (§. 6.); sed, si ipsius fibræ, elasticitate sua naturali privata (§. 2.), integre sese restituere nequeunt, à partibus, in illud incurrentibus, ita successive membrana hæc laxatur, dilatatur, ad anteriora protruditur, ut dicta hæc viscera magis atque magis in locum dilatatum sese insinuent, una cum laxato peritonæo descendant, prolabantur: quod quidem, si foramina cæca, seu forvæ naturaliter in peritonæo hinc inde jam adsunt (§. 5. & not. l.), eo facilius evenire potest, cum sic naturales, ad relaxationes peritonæi & prolapsus viscerum, dispositiones præsto sint. Pars peritonæi, prolapsas has partes ita includens, *Saccus peritonæi*, vel *Saccus herniæ* vocari solet, qui quidem nihil aliud est, quam membrana ipsa, vel portio membranacea peritonæi, partes molles, in eam insinuat, continens. Qui saccus, non adeo inepte in internum, & externum dividi potest [r]. *Internum* vocando, ipsam portionem membranaceam peritonæi; cui adhuc exterius strata quædam cellulosa adhærent, quæ sub *externi sacci* nomine veniunt.

Quod peritonæo accidere statuimus, illud ratione muscutorum epigastri-corum locum quoque habere potest (§. 4.) vel enim, rupto peritonæo (§. 6.) hi muscoli soli impetui viscerum (§. 2.) resistere debent, quod dum non semper valeant, itidem elasticam suam vim amittunt, laxantur, viscera intro sese recipiunt, & saccum herniæ sic formare possunt; vel integro etiam peritonæo, sed laxato, horum muscutorum aponeuroses præprimis (§. 4.) nimis relaxantur, & sic prolapsas partes recipiunt [s].

Imo si fibræ eorundem, tam musculosæ, quam aponeuroticæ, naturaliter diductæ (§. 4. n. 3.), vel, unitate soluta, plane divisæ sunt [t]; tunc temporis cutis sola contra niti debet vi partium intrantium, quæ sola sic saccum herniæ quandoque constituit, diu vero reniti impotens, sæpiissime rumpitur.

§. IX.

Contenta abdominis, ab involucris suis sic laxatis, vel ruptis (§. 6.) non amplius coercita, si insuper ligamenta ea necessitate itidem laxantur (§.

[r] Mauchart *Diss. de hernia incarcerata Tubingæ* 1722. C. II. p. 13. 14. hanc distinctionem proponit.

[s] Talem saccum, à triplici aponeurosi muscutorum abdominalium formatum, observavit Mery, *Memoires de l'Academie Royale des Sciences, ann. 1701. Mem. p. 376. edit. Batav.*

[t] Cl. Gunzius *libello de herniis* p. 49. qui, uti cuncta de hac materia, ita hoc quoque solide prosecutus est. *Vogel tr. Germ. von denen Brüchen, edit. nova, 1746 p. 56.*



(§. I.), qua data porta ruunt, exitumque quærent, quem iis in locis commode inveniunt, ubi muscutorum abdominalium fibræ aponeuroticae à se invicem hiantes, annulos (§. 4.) vel fibræ carneæ diductæ (§. 8.) interstitia faciunt. Hinc

I^{ma} herniarum distinctio nata, quæ à loco, quo prolapsus fit, varia sortiuntur nomina. Nam vel in umbilico, per annulum in medio lineæ albæ (§. 4. n. 3.) fit egressus, quod vitium, *hernia umbilicalis*, Ομφαλοκήλη, Ἐξόμ-Φαλος, Græcis vocari solet; vel per annulum obliqui externi (§. 4. n. I.) prolapsæ partes in inguine apparent, & *Inguinalis hernia*, Βεβρανοκήλη, dicitur; quæ, si ulterius, in viris ad scrotum, in fæminis ad labia pudendorum usque descendunt, *Scrotalis*, vel Ὁχεοκήλη, in viris salutatur [v]. Aponeuroses quoque obliquorum, eo in loco, ubi cum ligamento Fallopii communicant, hiant (§. 4. n. I.); sed per hunc annulum sub ligamento ad crura quoque prolabi possunt viscera, sicque *Femoralem vel Cruralem herniam*, seu Μηροκήλην, constituere [x]. Imo est quoque ad ligamentum, foramen ovale claudens, hiatus quidam, per quem, dum fit elapsus, *hernia quædam Ovalaris* dicta, oritur [y]. Et si quocumque in loco abdominis alio, epigastrio videlicet, sive ad latus umbilici, vel in linea alba, sive id supra, sive infra umbilicum sit, sive in aliis regionibus abdominis, hypogastrio etiam, partes promineant; *Ventralis Herniæ* nomine, vel Ἰπογαστροκήλης, venit. Minime vero semper eadem sunt viscera, quæ per hæc loca (n. I.) labuntur, sed subinde alia atque alia. Et inter illa quædam frequentius, qualia omentum & intestina; quædam rarius prolabantur, talia sunt ventriculus, hepar, lien, vesica, uterus &c.

II^{da} hinc herniarum distinctio, à parte prolapsa, qua nempe, si omentum ad hæc loca devenit, *Omentales*, si intestina, sive tenuia, sive crassa devolvuntur, *Intestinales* dicuntur. Et intestina quod attinet, modo illa integritatem formant, modo vero latus solummodo intestini convexum & paries tantum ipsius interceptus, sese insinuat, via adhuc ex parte libera pro transitu alimentorum vel fæcum manente [z], quod in coli cellulis sæpius ita observatur, vel, quod raram facit herniam, invenitur sæpe, in ileo præcipue, appendix quædam seu peculiare diverticulum [a], quod elapsum

A a 3

herni-

[v] Scrotales hæc, etiam *Complete herniæ* vocantur, ad distinctionem *incompletarum*, quando partes solum in inguine apparent, at, me quidem iudice, distinctione hac carere possumus, cum essentiale nullum discrimen faciat.

[x] Vid. Goelticke *Diss. de hernia femorali Francof. ad Viadrum 1740.*

[y] *Mem. de l'Acad. Royale de Chirurg. Tom. I. p. 709.* ubi, ex recensione *Garengeot*, quædam ipsius exempla allegantur.

[z] *Mery Mem. de l'Acad. Royale des Scienc. A. 1701 p. 357. Garengeot Operat. de Chirurg. Tom. 1. Obs. 21. p. 365.*

[a] Primus has hernias observavit *Littrius*; *Mem. de l'Acad. Royale des Sciences A. 1700. Hist. p. 20. Mem. p. 384.* idem vidit, l. c. 1714. *Mem. p. 259.* ab aliis observata talia diverticula invenimus, conf. *Ruyfch. Tbes. anat. VII. Tab. IV. E. N. C. Cent.*

A a 3

VIII.



herniam facit, & eo ipso canal is itidem non angustatur. Inter raras herniarum species ab auctoribus recensentur, *Hernia ventriculi*, Γαστροκήλη [b]; hepatis, quæ *Hepatocele* vocatur [c]; lienis, sive *Splenocèle* [d]; uteri & vesicæ, quæ Κυσικήλη appellatur [e]; cumque dictæ hæ partes, vel solitariae exeant, vel plures simul

III. hinc in *simplices & compositas* dividi possunt herniæ. Si unum tantum viscus prociderit *simplex* est hernia, si plura prodierint *composita* audit; ad quam etiam referri meretur, si pluribus in locis sese manifestat tumor, ut *duplicem, triplicem*, quandoque & plures numero in uno subjecto reperire liceat. In umbilico, si epiploon solum invenitur, *Epiplophalos*; si intestinum, *Enteromphalos* vocatur: fere semper autem omentum intestinum præcedit, una procidunt, & *Enteropiplophalon* tunc constituunt. Si in inguine, vel scroto, unum, vel alterum horum, solum sese manifestat, *Epiplocele*, vel *Enterocèle*, si vero ambo simul *Enteropiplocele* salutatur. Quod si elater peritonæi nimis labefactatus, (§. 2.) sicque ingens dilatatio, vel plane ruptio ejusdem contigerit, (§. 5. 6.) pluribus adhuc numero partibus exitus porta tunc panditur, hepar, v. g. ventriculus &c. in consortium exeundi trahuntur, quæ herniæ, ex compositarum numero, nullum tamen amplius nomen fortiuntur. Scire autem juvat, an partes hæ pridem, an novissime prolapsæ fuerint, mora enim temporis, partes ab initio liberæ, firmiter postmodum compinguntur, dolorificæ evadunt, vel adhærentes fiunt, cum sacco ferruminantur. Hinc

IV. dividimus hernias in *mobilis*, quæ si recentes, plerumque *liberæ*, & sine dolore sunt; si vero inveteratæ, fortius infiguntur, doloribus stipatæ sunt, tuncque *incaarceratæ* vocantur; vel *immobiles*, quæ per moram temporis concrevissent, & tunc *adhærentes* appellantur. Hæque omnes, sacco suo, sive à peritonæo, sive aliunde nato, (§. 8.) sunt involutæ, adeoque

V. solummodo cum dilatatione peritonæi, vel sacco deficiente plane, cum ruptura peritonæi [f] contingunt. Verum enim vero, nec sola sunt viscera, (§. 2.) quæ abdominis circumferentiam in tumorem elevant, sed, per modo memorata loca, (n. 1.) cum dictis partibus, etiam aliæ res toto genere p. n. sese manifestant, tumorem faciunt; quales quidem aqua, aer, sanguis, car-

VIII. *Obs.* 50. p. 332. *Act. Phys. Med. Vol. 1. Obs.* 82. *Act. Petropol. Tom. IV. p. 263. Act. Vratislav. Tent.* 18. p. 540.

[b] *Mem. de l'Acad. Royal. de Chirurg. Tom. I. p. 703. Gunz. l. c. p. 87.*

[c] *E. N. C. Dec. I. A. II. Obs.* 88. p. 162. *Dec. II. A. VII. Obs.* 6. p. 11. *Gunz. l. c. p. 4.*

[d] *Gunz. l. c.*

[e] *Vid. Celeb. Saltzmanni nostratis de vesica urinaria hernia Diss. A. 1732.*

[f] *Veteres omnes hernias à ruptura peritonæi contingere autumabant, quod ex onomatologia (§. 7.) patet, hæc herniosos vocarunt ruptos; recentiorum multi plane negant peritonæum unquam rumpi, conf. Haller Præl. in Boerb. Vol. V. P. I. p. 286. Manchart Diss. cit. p. 12. confirmant tamen illud, testes omni exceptione majores, Saltzmann Diss. cit. §. 21. p. 34. Garengot Operat. Chir. Tom. I. p. 329.*

carnes fungosæ sunt, quæ, variis in locis peritonæum ejusque processus extendendo, distinctioni herniarum

VI. in *veras*, quæ à partibus corporis inquilinis, omento, intestinis, &c. [g] & *spurias* sive *analogicas* dictas, quæ à rebus heterogeneis fiunt, locum dederunt. Si sic umbilicum prominere faciat aqua, *Hydromphalos*; Si flatus, *Pneumatomphalos*; si carnes, *Sarcomphalos*; si varicosa vasa, *Varicomphalos* dicitur. Quæ si in seroto ita fiunt, *Hydrocele*; *Pneumatocele*; *Sarcocele*; si vasa spermatica tumida, varicosa, *Varicocele*, vel *κισσοκήλη*; si seminalia, *Spermatocele*; si pinguedo protuberat, *Liparocele* vocantur. Spuriæ hæc herniæ veris sæpe affociantur, & ex veris & spuriis *compositas* faciunt [b].

§. X.

Est igitur *Hernia* nostra *Ventralis* (§. 9. n. 1.) è verarum censu, (n. 6.) atque *definitur*, tumor p. n. abdominis, in quocumque alio ejusdem loco, quam in annulis sese manifestans, atque à prolapsu omenti, intestinorum, ventriculi, hepatis per laxatum ruptumve peritonæum, musculos abdominales atque cutem contingens. Græcis *ὑποασροκήλη*, Gallis *Hernie Ventrale*, Germanis *ein Bauchbruch*, vocatur. Quæ, dum asserimus, omnem circumferentiam, qua infimus venter circumscribitur, annulis umbilicali, (§. 4. n. 3.) obliqui externi atque ligamenti *Fallopii* (§. 4. n. 1.) exceptis, ventralis herniæ vagam sedem esse palam est; sive hoc in epigastrio, sive ad latus utrumque umbilici, sive per longitudinem lineæ semilunaris, sive ad hypogastrium utrumlibet fiat. Ubique enim horum locorum, elatere peritonæi & musculorum epigastricorum vel imminuto, (§. 4. 5.) vel, diductis (§. 4. n. 3.) aut ruptis fibris, penitus sublato, abdomen à contentis tunc irruentibus indecore prominebit. Quod quidem ita verum esse comperimus, ut, veteribus jam de hæc herniæ specie sermonem fuisse, notum sit. *Hippocrati* cognitam fuisse discimus [i], nec minus *Galenus* illam tetigisse videtur, [k] & *Celsus* integrum caput ei destinavit [l], *Avicenna* quoque de iis, tanquam raris, mentionem injicit [m], & *Carpus* in quacumque ventris parte fieri eas dicit, præcipue in iis, in quibus venter telo perforatus fuit [n]. A *Montagnana*, propter vagam in abdomine sedem, hernia hæc ventralis

[g] Quorsum etiam *hernias cerebri*, *uvæ*, *sacculi lacrymalis* *Bronchocele*m referre licet.

[b] Quadruplicem recensent *Aët. Hassniens. Vol. III. Obs. 55.*

[i] *Epidem. L. II. S. I. n. 71. Edit. Lind. Pectinum ruptiones, quæ, quidem circa pubem fiunt, ut plurimum statim sunt innoxie. Quæ vero paululum supra umbilicum in dextra parte, hæc dolorose sunt & anxiose, & febriculis vomitum inducunt, velut etiam am Pittaco accidit. Fiunt autem hæc, aut à plaga, aut à vulsura, aut alterius insultu.*

[k] *Administr. anatom. L. V. C. VI.*

[l] *L. VII. C. 17.*

[m] *Tom. I. p. 962. Ed. Iunt.*

[n] *Comment. in Mundinum f. 106.*



tralis appellatur [o], *Platerus* quoque eas modo ventris hernias, modo ventrales vocat [p]. Posterioribus vero seculis ita in Democriti puteo absconditus latuit hic morbus, ut nullum de eo in scriptoribus Chirurgicis vestigium reperire datum sit, donec in scriptis, à nostri ævi excellentissimis in arte Magistris, editis *Dionis*, *Gareugeot*, *Le Dran*, *Heistero*, *Gunzio*, *Vogelio*, *Platnero*, *Mem. De l'Acad. Roy. de Chirurg.* postliminio iterum è tumulo quasi excitatus fuerit.

§. X I.

Miraberis forsan, cur post tot retro demum secula in apricum iterum deducta fuerit peculiaris hæc herniæ species (§. 10.)? En alti hujus silentii rationem! omnibus iis temporibus, quibus de hernia ventrali siluerunt auctores, confusio litatum est, nec probe ad *differentiam*, quæ inter ipsam, & umbilicalem herniam intercedat, attenderunt, omnesque ventrales herniæ, pro umbilicalibus ab ipsis habitæ, sub hoc nomine ab iisdem descriptæ fuerunt. At cum in herniis ordinaria, qua elabuntur, porta, annulus sit; (§. 4. & 9.) ita in umbilicali hernia, annulus ab aponeurosi magnorum muscutorum abdominalium in medio factus (§. 4. n. 3.) verus & unicus locus est, per quem, si contingit prolapsus, tumor tunc herniæ umbilicalis nomen meretur. Omnia reliqua vero loca, sive ad latus umbilici, vel etiam, tam supra, quam infra umbilicum, in tota longitudine lineæ albæ, (§. 9. & 10.) hernia ventralis sibi vindicat. Plurimæ hinc umbilicalium, re accuratius discussa, ad ventrales relegandæ sunt. Qua in re consentientes habeo *Gareugeot* [q], *Dionis* [r], *Junckerum* [s]. *Ruysschius* [t], etiam huic sententiæ favere videtur, & *Gunzius* [v], licet *Cl. Le Dran* hernias umbilicales omnes eas vocet, quæ per longitudinem lineæ albæ fiunt, sicque limites earum, multum etiam ultra regionem umbilicalem, extendat [x].

Non adeo vero differt, imo potius ad *hernia ventralis censum referenda est hernia ventriculi*, (§. 9. n. 1.) quæ in parte superiori lineæ albæ, immediate sub cartilagine xiphoide, ubi fibræ muscutorum deficiunt, sese manifestat. Hæc enim, cum in alio loco abdominis, quam in annulo (§. 9.) contingat, non solum ideo ventralibus herniis accenseri meretur [y], verum etiam,

[o] *Consil.* 227. cap. I. 3. ubi de specie principali eminentiæ mirachialis i. e. ventralis raro eveniente loquitur, qui propterea primus ipsi nomen imposuisse dicitur a *Gunzio*, p. 5. l. c.

[p] *Prax. med. Edit. in 4to* p. 490.

[q] *Operat. de Chirurg. Tom. I.* p. 234.

[r] *Cours d'Operat. de Chirurg.* p. 121.

[s] *Conspect. Chirurg.* p. 204. Caut. 1.

[t] *Observat. Chirurg.* 71.

[v] *Libell. de herniis* C. XV. p. 66.

[x] *Traité des Operat. de Chirurg.* p. 138.

[y] Quod etiam facit *Commentator Dionis la Faye* p. 121.

etiam, cum raro solus protuberet, sed sæpissime epiploon ante se protrudat, imo interdum magnam partem intestinorum, hepar quoque comitem habeat, magnas hic locorum, & prodigiosas hernias format [z], ob quas quidem rationes optime ventris herniis annumeratur [a].

Caveas vero quæso ne nostram herniam cum inguinali confundas, cum enim in omni abdominis loco extra annulos fieri (§. 10.) posse diximus, contingit quandoque, ut prope annulum obliqui (§. 4. n. 1.) aponeuroses musculorum abdominalium [b] hic locorum spissæ satis & duræ, dilatæ, faccum effingant (§. 8.) & attollantur, quod quidem inguinalem herniam mentiri potest, accurata vero inspectione, vel sectione demum compertum habemus, tumorem hunc non in annulo, sed prope ipsum natum, herniam ventralem efficere [c].

Turpe quidem dictu, sed si vera fateri volumus, herniæ hujus species quandoque à nonnullis chirurgis, nomine hoc indignis; cum aliis quibuscumque tumoribus confunditur, ut pro abscessu habitus præpostere à quibusdam apertus fuerit [d]. At, cum manui prementi facile cedat hic tumor, & ad interiora sese recipiat, pressione vero cessante, iterum appareat, basis ipsius insuper semper lata sit, nec æqualis undique magnitudinis, his adhibitis cautelis, nullus confusio cum abscessu locus supererit.

§. XII.

Verum enim vero, licet propter vagam in abdomine sedem (§. 10.) certus tumoribus his locus assignari non possit; attamen ex eo, quod nunquam in annulis appareant (§. 11.), ita suis circumscripti limitibus sunt, ut nunquam de præsentia ventralis herniæ dubitaverit chirurgus, si in quocumque extra annulos loco (§. 10.), eam videre ipsi datum fuerit. Sic in regione epigastrica, circa ensiformem cartilagineam, peritonæum, nullis fibris muscularibus tectum (§. 11.), facile pressioni cedit, extenditur, prominere, quod herniis tunc ventriculi ansam præbere potest (§. 11.).

Ad

[z] Qualium exempla legimus in *Transact. Anglic. A. 1731. No. 421. 7. p. 286. Edit. Verson. Gallic.* ubi de tumore supra umbilicum, magnitudine capitis humani, narratur, quod apertus pylorum cum tertia parte ventriculi, colon integrum cum reliquis intestinis contineret, ita ut ex intestinis, nil in abdomine remanserit, præter partem duodeni, cum parva portione jejuni & recto. *E. N. C. Vol. II. Obs. 94. Tab. IV.* recensent herniam, quæ abdomen à pectore ad pubem ita extendit, ut ad genua usque propenderet saccus. *Mem. de l'Acad. Royale de Chirurg. p. 701.* adeo magnas eas evadere interdum notant, ut quasi secundum ventrem representent.

[a] *Gunz. l. c. Cap. XX.*[b] *Winslow Tom. II §. 81.*[c] *Mery Mem. de l'Acad. des Sciences A. 1701. Mem. p. 376. B'egny Z'd. Med. Gallic. Ann. l. Mens. Febr. Obs. l. p. 42.*[d] *Heister. inst. Chirurg. p. 799. Platner inst. Chir. rat. §. 821. Haller Pral. in Boerb. inst. Vol. VI. p. 56.*

Tom. III.

B B



Ad latus itidem umbilici in utroque latere, à laxatione aponeurosum musculorum epigastricorum formari possunt ventrales herniæ (§. 8.), quæ prægressis seculis minus accurate pro umbilicalibus habitæ fuerunt (§. 10. & 11.): quales multæ in fæminis gravidis, vel etiam post puerperium difficile, imo in infantibus recens natis reperiuntur. Recti musculi utrinque ad latus lineæ albæ decurrentes (§. 4. n. 4.), lineam hanc non omnimode tegunt, ideo peritonæum hic locorum à cingentibus musculis minus defensum, debilius existit, atque impetui viscerum cedit (§. 5.), sicque in interstitiis rectorum inter ipsos per totam longitudinem lineæ albæ, supra & infra umbilicum, hernias ventrales frequentes esse non mirandum, imo à contractione eorundem incarcerationi sæpissime obnoxie sunt [e]. Transversorum sæpe fibræ diductæ sunt, imo deficiunt, & pinguedine suppleantur (§. 4. n. 3.) in regione laterali & hypogastrica, atque his herniis portam pandunt. Super inguinibus itidem (§. 11.), ubi fibræ transversæ & obliqui interni rariores, tumores hos nasci observatur. Quæ, quod revera ita in his locis, uti diximus, contingant; ex pluribus observationibus, aliquibus solum, operæ pretium erit, comprobare. In latere sinistro lineæ albæ, quatuor transversos digitos supra umbilicum, herniam ventralem, trium pollicum cum dimidio magnitudine, observavit *Littre* [f]. Memoratu dignam benigne mihi communicavit *Du. le Maire Xenodochii Regii Argentinensis chirurgus olim primarius*, vir ob consummatam in chirurgia scientiam nemini absque elogio, mihi ob insignem præstitam benevolentiam absque grata recordatione nunquam nominandus, qui herniam quamdam ventralem quadruplicem crucis in modum vidit in capillorum concinnatore, qui in juventute sua doloribus ventriculi obnoxius & vomitibus violentis, rupturam fibrarum in linea alba passus est, ut duos transversos digitos supra umbilicum tumor appareret, & eadem distantia infra umbilicum similis alter talis tumor sese manifestaret, in quo solum epiploon hæsit, lateraliter vero versus regiones lumbares duo alii tumores magis notabiles conspectui sese filterent. In regione epigastrica ad hypochondrium dextrum nuperrime demum herniam ventralem, caput infantis æquantem, conspiciere mihi datum fuit in viro, qui in eodem latere oscheocelen quoque gestat. Omnis superficies anterior abdominis in utroque latere à tali tumore occupata visa fuit à *le Dran* [g]. Imo eodem annotante [h], rara quædam & occulta herniæ ventralis species oriri potest, inter ipsas musculorum rectorum fibras, si vulneratæ unquam hæ fibræ non amplius bene coaluerint, tunc à peritonæo impetum in eas faciente dilatari possunt, sicque herniæ locum facere, quæ quidem propter vagi-

[e] *Gunz.* l. c. p. 72.[f] *Mem. de l'Acad. des Scienc.* 1714. p. 259.[g] *Operat. de Chirurg.* p. 142. *Mem. de l'Acad. de Chirurg.* p. 701.[h] *L. c.* p. 145.

vaginam qua recti includuntur (§. 4. n. 3.) exterius ne quidem apparet. Sed extra hunc casum sæpius ad latus rectorum ab aponeurofibis obliquorum & transversis relaxatis abdomen in tumorem attollitur [i]. Inter duos rectos per tres circiter latos digitos discedentes herniam conspexit duplicem desideratissimus Hænelius, minor una erat in umbilico, altera major latum digitum supra eundem [k]. In regione hypogastrica sinistra duo tumores laudato *Dn. le Maire* occurrerunt in praxi sua, quorum unus occupabat longitudinem cristæ ossis ilii, alter supra pubem ad latus pyramidalis, quæ appendicem formabat, & maxime notabilis erat. Quandoque uti *Petit* [l] in fœtu observavit, deficiunt plane musculi abdominales, sed peritonæum tunc, omnem vim sustinere impos, moli prementium viscerum cedere debet, unde totum abdomen immensum prominat.

§. XIII.

Quas de herniis in genere tradidimus distinctiones (§. 9.), eæ in ventralibus quoque obtinent. Et quidem *divisio*.

I. *A loco* desumitur, ita ut contingere eas observatum fuerit, præcipue in linea alba, sive supra, sive infra umbilicum (§. 12.), ubi musculi recti a se invicem secedunt, vel in epigastrio, vel ad latus umbilici (§. 10. 11.), vel in hypogastrio, à secedentibus obliquorum & transversis fibris (§. 4. n. 3.).

II. *A visceribus*, quæ in tumore sese sistunt; atque ex peritorum libris constat, herniam ventralem fieri quandoque ab omento in regione epigastrica ad longitudinem lineæ albæ [m], interdum contingere à ventriculo [n], quandoque ab intestinis, & quidem vel jejunum sese manifestat [o], vel ileum & jejunum [p]: atque ileum quod attinet, illud omnium facillime prolabitur, idque interdum totum, interdum paries solummodo ipsius, aut appendix illa peculiaris, quæ in illo sæpius reperitur (§. 9. n. 2.) & quæ rarior est herniæ species [q]: quæ quidem ilei in saccum talem vel cæcum prolongatio incarcerationis frequentem ansam præbet, intestinum colon etiam quandoque devolvitur [r], coli etiam sæpe pars cum

[i] *Le Dran* l. c. 143.[k] Allegante *Gunzio* l. c. p. 72.[l] *Memb. de l'Acad. des Scienc.* 1716. p. 187.[m] *Le Dran Observ. de Chirurg.* Tom. II. p. 59.[n] *Mem. de l'Acad. de Chirurg.* p. 703. *Gunz. de herniis cap. 20. Vogel von deners Bruchben edit nova* p. 67.[o] *Gunz.* l. c. p. 29.[p] *Saviard Observat. Chirurgic. Obs.* 59.

[q] §. 9. not. aa.

[r] Talis duplex illa *Hænelii* §. 12. allegata.

cum appendice conspicitur [*s*], colon itidem cum epiplooo fociatur [*t*]. Et, si quoddam horum viscerum solitarie exit

III. *Simplices*, si vero plura gregatim (§. 9. n. 2. & §. 11.) & diversis quandoque in locis elabuntur, *composita* evadunt, quales sunt omnes illæ magnæ & prodigiøsæ in quibus omnia fere viscera abdominalia vinculis suis relaxatis ventrem misero spectaculo protuberantem exhibent [*u*]. Ita omnia intestina tenuia, præter duodenum, & omnia crassã, excepto recto, vesicula fellis, & pars ventriculi in hernia ventrali reperta fuerunt [*x*]. Pertinet huc enteroepiplogastrocele triplex, duo tumores ab epiplooo, unus ab intestinis à *Dn. le Maire* (§. 12.) observata; hernia illa à *Blegny* memorata [*y*]; entero-epiplogastrocele à *Gælicke* allegata [*z*]; hepar, vesicula fellis, lien, ventriculus in tumore detectus. [*a*] Raro vero simplices obveniunt ventrales herniæ, verum cum ab epiplooo intestina tegantur, illa fere nunquam sola, sed præcedente epiplooo prolabantur. Dictæ hæ partes, dum in tumore fluctuant, & sine incommodo gestantur

IV. *Mobiles* liberas efficiunt hernias, si vero doloribus, inflammatione stipatæ sunt, incarceratæ tunc fiunt eadem, atque si non amplius cedunt, & adhærent, *immobiles* nuncupantur:

V. Tandem à *laxato* solum in his herniis *peritonæo*, vel *rupto*, id quod frequentius in ventralibus, quam in aliis contingit, divisio petenda est. Et eæ ubi rumpitur peritonæum stupendæ semper sunt magnitudinis: (n. 3.) talis est illa monstrosa quam in fœmina quadam nobili vidisse mihi recensuit *Dn. le Riche*, *Xenodochii Regii Argentinensis copiarumque & castrorum regionum chirurgus primarius*, fautor atque hospes olim meus grato dignoque encomio celebrandus. Hæc infra umbilicum prope transversalis plicam tantam rupturam jam diu passa erat, ut vinculo paulum laxato plurimæ diffunderent partes, unde immanibus cruciatur doloribus, quibus non aliter, quam in lecto, & vincituræ constrictione levabatur. Agmen verarum harum herniarum, spæriæ alicujus, sarcocèles nempe ventralis mentione, claudimus [*b*].

§. X I V.

Hiscæ ratione locorum (§. 12.) & divisionis (§. 13.) præmissis, non diffi-

[*s*] *Mauchart Diss. de hern. incarcer. p. 11.*

[*t*] *Mem. de l'Acad. des Scienc. A. 1714. p. 259.*

[*u*] *E. N. C. Vol. II. Obs. 94. Mem. de l'Acad. de Chirurg. Tom I. p. 701. Mem. de l'Acad. des Scienc. 1714. p. 259. Select. Francof. T. 2. Vol. II. Obs. 2.*

[*x*] *Transact. Anglican. 1732. N°. 422. 8. p. 44.*

[*y*] *Zod. Gall. Ann. I. Febr. Obs. I. p. 44.*

[*z*] *Gælicke Diss. de hern. femoral. §. 16.*

[*a*] *Mem. de l'Acad. des Scienc. 1716. p. 179.*

[*b*] *Vogel l. c. p. 92.*



difficile erit *Diagnosin* herniæ ventralis tradere. Quum vero in alio quocumque abdominis loco, quam in annulis (§. 10.) eam fieri diximus; (§. 12.), hinc, si in quacumque regione ventris cutis indecore prominere, à chirurgis ad ventralem herniam cæteris paribus rite concludi, patet. Etenim si, ubicumque illud sit, tumor ille existat inæqualis, mollis, parvus, rugosus, sine magnis doloribus, absentibus vomitibus, alvo libera, & præcipue si foveas post impressionem digitorum relinquit, atque absque murmure & sonitu reprimendus; omentum foras prolapsum fuisse indicium est. Intestinum quoddam vero si egressum, tumor deprehenditur æqualis, elasticus, tensus, rotundus, post impressionem digiti sese restituens, modo crescit, modo imminuitur, prouti distentum magis minusve intestinum est, repellendus facile digitis cum murmure quodam, quod præ aliis intestini prolapsi signum est, & apertius fit, si tussiendo, vel per succussus inspirando tumor augetur & sentitur. A ventriculo si elevatur cutis (§. 11.), ventralis hæc hernia tunc duos transversos digitos sub cartilagine mucronata sese manifestat, atque omnes hæc herniæ post cibum statim crescunt, in jejunio minuuntur, & in supino ægri decubitu sensim evanescent, quod signum est illarum characteristicum [c]. Compositam adesse herniam ventralem per signa modo nominata adunata certiores evadimus, ita quidem, ut ubi repositis cum murmure intestinis aliquid in sacco remaneat, omentum illud esse concludamus. Atque si tumor prodigiosus nimis atque enormis appareat, (§. 13.) à magnitudine procedentiam aliarum simul partium ventriculi, hepatis, mesenterii &c. inferimus. Hæc, quæ ita protuberant, si digitis prementibus cedunt & resiliunt, liberam, mobilem esse herniam ventralem significant. Si vero omento, vel intestinis nimium distentis, impactis, vasa sanguinea comprimantur, tumor tunc cedere recuset, rubicundus, nitidus evadat, dolor vehemens, vomitus chylosus, biliosus, constipatio alvi, singultus accedat, inflammatam, incarceratam herniam indicant. Quæ dicta symptomata si auferunt, inflammatione latius serpente, tumor lividus, mollis evadit, pulsus depressus, parvus, frequens, lipothymix, insomnia, sudores frigidi, evanescencia dolorum gangrænam, sphacelum & rem ad triarios pervenisse, proh dolor! satis manifestant. At, si magno herniosi bono inflammatio prægressa in suppurationem quandoque abit, intestina roduntur, aperiuntur, peritonæum, aponeuroses musculorum, cutis quoque à pure effuso exesa, suppurata itidem rumpuntur, sicque interdum herniam incarceratam suppuratam [d] formant. Si in ipsa intestini incarceratione alvus libera manet à diverticulo quodam in intestino (§. 10.) herniam oriri probabile est. Si à relaxatione peritonæi, utplurimum

B b 3

rimum

[c] *Gunz* l. c. p. 92.[d] Vid. Heisteri *Diss. de hernia incarcerata suppurata sæpe non lethali. Helmstad.*

rimum tumores non adeo insigne volumen exhibent, quam si à rupto eodem contingunt, qui etiam non ita facile incarcerantur. Rara illa hernia ventralis inter separatas per vulnus recti fibras oriens (§. 13.), difficilius cognoscitur, à symptomatibus tamen reliquis herniæ absque apparente tumore indicatur. Atque signa herniæ ventralis pathognomonica, quæ illam à quibusvis aliis distinguunt, sunt tumor major minorve, latior in basi quam in superficie, subito apparens, moxque paulum pressus sic recedens, ut evanescat, spirando tamen mirum in modum augetur, quia nullo annulo coercetur (§. 10.): ubi intestinum subest, vehementes adfunt abdominis dolores in hac hernia, qui etiam stomachum afficiunt, ut assumpta, imo bilis evomat [e].

§. X V.

Cum partes abdomen cingentes, peritonæum præcipue, elatere suo naturali privari, adeoque laxari vel plane rumpi possit (§. 5.), atque hoc facto, viscera laxatis quoque vinculis (§. 9.) in loca peritonæi dilatata vel rupta irruant (§. 8.), sicque tumorem faciant; in causas herniarum, uti aliarum, ita ventralium inquirenti, patebit; *causam herniæ ventralis proximam* esse vel relaxationem, vel rupturam peritonæi, quod ultimum quidem in hac specie frequenter contingit, licet in aliis rarius sit [f]. Relaxationem quidem peritonæi inducere possunt omnia ea, quæ membranam hanc nimis distendendo, premendo, intestina contra eam impellendo, ab elasticitate & tono suo naturali eam dejiciunt, quæque proinde

Causa remota hujus affectus existunt, qualis est interius fortis viscerum, intestinorum nisus, incurfus in superextensum peritonæum, præcipue dum à reciproco motu diaphragmatis deorsum antrorsum pelluntur (§. 2.), sicque in angustius spatium rediguntur, quo facto, resistentia peritonæi superatur, vel ubi jam debilitate naturali, vel dispositione ad hernias (§. 5.) laborat, eo facilius dilatatur. Pertinet huc quoque colluvies humorum feroforum in abdomine stagnans, viscera à tono suo dejiciens, lubricans, vincula quoque eorum relaxans, atque ob eandem rationem peritonæum successive dilatans. Debilitas quoque nimia fibrarum naturalis est dispositio ad hernias, ductus etiam cæci peritonæi (§. 5.) & deficientes fibræ musculorum abdominalium (§. 4. n. 3.) huic effectui favent. Huc & temperiem peculiarem, sanguineum & phlegmaticum temperamentum præ aliis, obestatem nimiam, & hæreditariam quandoque labem, referre [g] licet. Quæ dispositio interna per varias

Causa

[e] Vid. Platner l. c. §. 821. Heister l. c. p. 799. le Dran l. c. p. 143. Dionis l. c. p. 119.

[f] Dionis l. c. p. 119. ventris herniam semper à ruptura peritonæi fieri asserit, in quo tamen fallitur.

[g] Vid. Hoffmann. *Med. Consultat. Tom. II. p. 53. E. N. C. Cent. V. obs. 92.* Fa-

Causæ externas ut plurimum & *occasionales* excitatur, quæ cum multifariæ sint, ad censum rerum nonnaturalium commode reduci queunt. Conferuntur huc (α) Aër, atque ratione illius habitatio in locis, regionibus paludosis, nebulosis. (β) Diæta pinguis, oleosa, flatulenta, hinc Helvetis endemius, & Monachis familiaris est hic morbis, cibus & potus nimia in copia ingurgitatus, fermentescens, cerevisia frigida avide hausta. (γ) Ratione applicatorum externorum ictus, lapsus, casus, calcitratio, equitatio, suspensio à brachio, nifus ad attingendum aliquid, præcipue post partum, vel in statu graviditatis [*b*], motus varii fortiores in saliendo, saltando, currendo, onera gestando, præprimis si sustinendo, vel elevando pondus spiritus retinetur, ob erectum quoque corporis situm causæ sunt cur in homine frequentiores sint herniæ, quam in brutis. (δ) Omnes nixus respiratorii fortiores, ejulatio, vociferatio, sternutatio, risus, tussis ferina, suctio infantum, tubarum inflatio, nifus in egerendis fæcibus, suum symbolum huc conferunt; atque etiam hic de fæcibus nimis duris, flatibus intestina distendentibus, gestatione fetus in utero, partu difficili, præpostera ligatione funiculi umbilicalis, venere immodice exercita, urina diu retenta, hydrope [*i*], lumbricis convolutis [*k*], tanquam causis occasionalibus, mentio injicienda. (ϵ) Animi affectus interdum, veluti terror subitaneus [*l*], imaginatio gravidæ fortis [*m*], hunc affectum concitasse, legimus.

Hæ causæ omnes, vario modo viscera abdominalia, reciproco motu à diaphragmate, & muscibus abdominalibus, pressa (§. 2.), versus peritonæum pellunt, illius elaterem superant, illud laxant, dilatant; ita quidem, ut si lente & successively agunt dictæ causæ, laxationem peritonæi, si vero fortius & subito impetunt, ruptionem ejusdem inducant. Simul & semel vero etiam rumpuntur ii, qui læsionem violentam, a vulneribus in cavitatem abdominis penetrantibus, incurrunt, quibus ictus, vel calcitationes fortiores infliguntur; his etiam annumerandi, quibus plaga, vel vulnere olim peritonæum læsum fuit; cum enim partes membranaceæ male vel raro consolidentur, accedente causa quadam alia occasionali, labia denuo hiant, partesque elabi sinunt. Mirum hinc non est, post vulnera à gladio, post paracentesis administrationem, sectionem in partu cæsareo

Fabricii *Sciagraph. Hist. Phys. Med. Butisbac.* p. 60. qui patrem & patrum eodem ætatis articulo hoc morbo correptos fuisse memorat.

[*b*] Illud evenisse in femina quadam, quæ, dum gravis esset, aliquid attingere volebat, atque sic triplicem herniam ventralem in locis diversis contraxit, ex communicatione supra laudati *Dn. le Riche* mihi notum est.

[*i*] *Le Dran* l. c. p. 143.

[*k*] *E. N. C. Dec. I. A. 3.* p. 194.

[*l*] *Ruyfch. Observat. Anatom. chirurg.* p. 125.

[*m*] *Mem. de l'Acad. des Scienc. A.* 1716. p. 178.



fareo [*n*], herniæ operationem , vel incarceratæ suppurationem [*o*], novas hernias , & præcipue ventrales fere semper preiſo pede ſubſecutas fuiſſe. Recenſitæ modo cauſæ , tanto cum impetu , tantaque cum pertinacia quandoque agunt , ut elaterem ambientium partium non ſolum penitus deſtruant (§. 2.) , ſed , eadem vi agere perfeverantes , in dilatatum peritonæum inteſtina fortiter impingunt , quod cum accidit , ob compreſſionem vaſorum in annulo , partibusque vicinis , circulus ſanguinis in iſdem intercipitur , hinc rubent , tument , inflammantur , partes prolapſæ conſtringuntur , atque per locum , ubi egreſſæ ſunt , remeare nequeunt , ſicque hernia incarcerata oritur , quæ quidem cauſam proximam agnoſcit conſtrictionem partium prolapſarum , ab annuli conſtrictione , vel quandoque etiam à ſacci hernioſi (§. 8.) conſtrictione , proveniente [*p*]. Annulum enim , cum tendineus & elatiſticus ſit , rariuſ quidem à partibus mollibus inflammari poſſe videtur , ſaccus potius peritonæi anguſtari , atque ſic incarcerationi anſam præbere poſteſt. Id quod omnium facillime tunc evenire poſteſt , ſi poſt factam ſemel herniæ reductionem , ſacci parietes concreſcunt ex parte , relicto ſolum orificio quodam mediocri , cui accedente cauſa occasionali ſucceſſive inteſtina ſeſe inſinuare poſſunt , atque descendere , quando vero moles partis prolapſæ ſacci anguſtiæ non reſpondet , aut ejuſ ſpaſmodica conſtrictio , vel inflammatio accedit , quæ ſæpiuſ à ſæcibus flatibusve retentis , à refrigeratione ſubitanea , ab exercitio , & motu fortiore accidit , partes tunc in ſacco contentas comprimi , conſtringi , incarcerari necesse eſt. Quæ ſic per moram temporis in ſacco hærebant partes , à ſucco ex poris ipſarum exudante , cum ſacco concreſcunt , quod etiam prægreſſa inflammatione earumdem accidere poſteſt , quæ herniæ immobilis & adhærentis primaria tunc cauſa evadit.

Ex memoratarum cauſarum claſſe præprimis herniæ ventrali producendæ obſtetricantur taſſis , ſternutatio fortior , ejulatio , ſuctio nimia mammarum , diæta pinguis , fætuſ geſtatio , niſuſ in partu , operatio cæſarea , paracenteſis , herniæ , & in genere quæcumque vulnera peritonæi unitatem ſolventia.

Atque ex hac ratione *ſubjecta* , quæ herniis ventralibus expoſita ſunt , infantibus exiſtunt , quibus magis familiaris hic morbuſ , quam adultis , & ſæminis etiam magis frequenter evenit , quam viris , temperamenta ſanguinea , & phlegmatica propiorem diſpoſitionem gerunt , & aſcitiçi , atque vulnera peritonæi perpeſſi , juſ quaſi acquiſitum in hernias hæcce obtinent.

§. XVI.

[*n*] Mem. de l'Acad. de Chirurg. Tom. I. p. 642. Saviard *Obſ. Chirurgical.* 59.

[*o*] Mem. de l'Acad. de Chirurg. p. 341. Mem. de l'Acad. des Scienc. A. 1723. *Hiſt.* p. 45.

[*p*] Confirmant hæcce le Dran *Obſerv. Chir.* T. II. p. 16. Garengot *Operat.* Tom. I. *Obſ.* 16. *Dionis* l. c. p. 324. *Gunz* l. c. p. 31.



§. XVI.

Quæ de causis (§. 15.) atque signis (§. 14.) herniæ ventralis diximus, ad prognosin ejusdem prona nos ducunt via.

1. Herniæ ventrales curatu difficiliores sunt reliquis, quod *Hippocrates* jam asseruit (§. 10.).
2. Herniæ ventrales difficulter radicaliter curantur, præcipue si post ruptionem, vel post vulnus peritonæi contingunt (§. 15.).
3. Recentes herniæ facilius curantur, quam inveteratæ.
4. In infantibus, & junioribus curationi plenariæ locus est, in adultis, senibus non item.
5. Eæ, quæ cum tumore, dolore, inflammatione conjunctæ sunt, (§. 14.) incarceratæ sunt, & periculosæ semper.
6. Quæ immobiles sunt, & adhærent, difficulter curantur, & periculi plenæ sunt.
7. Intestinales herniæ periculosiores sunt omentalibus.
8. Enteroepiploastrocele non adeo periculosa est, quam si sola intestina egressa, quia omentum defendit intestina prolapsa.
9. In gravidis ventrales non adeo metuendæ, imo sæpe evanescent.
10. Nimis prodigiosæ ventrales (§. 13. n. 3.) à muneribus consuetis impediunt, imo negotio generationis obstant.
11. Concionatoribus, uti omnes herniæ, ita hæc quoque fatales sunt.
12. Herniæ incarceratæ, obstructions alvi, dolores, inflammationes, tensiones abdominis, vomitus, ileum, volvulum, lipothymias, sudores frigidos, mortem generant.
13. Si post reductionem dolores, vomitus non remittunt, putredinis signum est.
14. Ventrales, quæ in interstitiis rectorum ab umbilico ad pubem sese manifestant (§. 12.), imo omnes prodigiosæ, incurabiles censentur.

§. XVII.

Hæc sunt, quæ herniosos minantur pericula (§. 16.), quæ quidem evitare docet ars, congruis adhibitis præsiis, legitimaque methodo mendi administrata. Præsidia hæc morbo directe opponenda, cumque in hernia ventrali, viscera abdominalia, in quocumque abdominis loco prolapsa, tumorem faciant (§. 10.); *Methodus* herniæ ventralis *curatoria*, duas exposcit indicationes:

Quarum Ima est, ut partes prolapsæ reponantur;

IIda, ut repositæ in situ suo contineantur.

At quum ea, quæ prociderunt viscera, alia libera atque mobilia sint, adeoque absque opera statim reduci queant, alia vero incarcerata, vel plane

Tom. III.

C c

adhæ-



adhæreant (§. 13. n. 3.) & immobilia sint, sicque reductionem, vel difficilem, vel impossibilem reddant, duplici modo *prima indicatio* absolvitur. Si enim libera sunt viscera, per Taxin, id est, repositionem solam, si incarcerata, per herniotomiam, id est, repositionem prævia facta operatione, hunc scopum attingere solemus. Partes itaque reponendæ, si recenter herniam fecerunt, nec majus volumen, quam quod orificio partis relaxatæ, vel ruptæ respondet, occupant (§. 15.) statim tunc & sine mora ad earundem repositionem accingere nos possumus. *Taxin* itaque instituturus chirurgus resupinato ægro, coxis & scapulis elevatis, & dorso excavato abdomen introrsum vergere faciat, ut sic cutis supra tumorem relaxetur, quo factò ambabus tunc manibus tumori applicitis per pressionem lenem idem intropellendus, cogendus est, sicque hernia reponitur, atque hoc quidem in herniis ventralibus sæpius propria manus perficere potest. Sique intestinum prolapsum est, cum murmure leni illud contingit (§. 14.), & si postmodum aliqualis adhuc tumor remanet, omentum adhuc hæere indicatur, cujus quidem repositio itidem tentanda, quamvis id sæpius difficilius exsequi liceat. In ea ventralis herniæ specie, quæ à ventriculo fit (§. 11.), repositio eodem plane modo peragenda. Qui post retrogressas partes relinquitur saccus herniæ (§. 8.), itidem repellendus, at cum membrana peritonæi, ab elatere suo deturbata, raro illum resumat (§. 15.), nullus fere reponendi saccum modus datur, id tamen, si quandoque fortuna accidit, parietes tunc sacci coalescunt (§. 15.), duriores fiunt, sicque repagulum novi prolapsus constituunt tutissimum [*q*].

§. XVIII

At, si quando evenit, ut partes tumorem formantes ita magnitudine augeantur, à flatibus vel fæcibus ita distendantur (§. 15,) ut repositio ipsarum difficilis, imo ob inflammationem & incarcerationem impossibilis fieret (§. 17.), tunc, ut scopo nostro taxi nempe potiamur, præparationem præviam, qua mediante partes tensæ relaxentur, impactæ emolliantur, inflammatio aliaque pericula discutiantur, instituere convenit. Si à flatibus vel fæcibus intestina distenta in nimium volumen protuberant, carminativa, antispasmodica, emollientia, laxantia, in forma tam clysterum, quam cataplasmatum, & fomentationum conveniunt. Locum hic habent spec. p. Dct. emoll. & carminativ. in ∇ & lacte coctæ, vel \circ lini solum, sub forma clysmatis injectum, quibus non juvantibus clysteres alii paululum fortiores & magis irritantes subjungi, & omnibus irritis fumus herbæ nicotianæ, fistula quadam peculiari inflatus, tanquam egregium aperiens magno sæpe cum successu repositioni herniæ favit [*r*].
Sunt

[*q*] Garengot *Operat. Tom. I. p. 318.*[*r*] Heister *Inst. Chirurg. p. 789.*

Sunt etiam quidam qui ☉ fulminans cum arcano duplicato interne scopo discutendi suadent [s]. Quibus internis addi etiam possunt per os assumpta ossa, demulcentia, °° Amygd. dulc. manna, syrup. violar dialth. cum anim. rhei & liq. anodyn. mineral. Hoffm. mixta. Sed adjungenda externa, fomentationes cum adipe taxino [t] embrocationes, inunctiones ventris cum oleis carminativis & discutientibus, cataplasmata emollientia, cum mica panis similaginei, °°, lacte, & croco, pulpa Hbb. emollient. cum ungt. alth. f. q. mixta, vel illud domesticum ex lini fasciculo convolutum, atque vel in lixivio, vel lacte, vel °° lini cocto. Quibus omnibus fibræ, tam peritonæi, quam intestinorum, nimis tensæ relaxantur, sicque reductio promovetur, quæ quidem interea temporis sæpe tentanda est, & si partes emollitæ fuerint, tandem ex voto succedit. Interdum vero adeo fortiter impacta hærent viscera, intestina præcipue, ut efficacissimis adhibitis licet emollientibus & discutientibus, tumor tamen cedere recuset, imo omnia signa inflammationis (§. 14.) præsto sint, continuatis tunc prædictis relaxantibus, in usum quoque vocatis balneis emollientibus e rapis, furfuribus, lacte & aqua, oleo, palmarium quod in his angustis convenit præsidium in V. S. positum est, quod ocyus citius adhibendum, quæ quando in brachio præcipue aliquoties instituitur, partibus nimium tensis relaxandis, adeoque inflammationi discutendæ optime famulatur, si præprimis inflicto vulnere lato magna quantitas celeriter evacuetur, atque hæc evacuatio ad animi usque deliquium continuatur, in quo quidem statu imminuta resistentia vasorum & impetu sanguinis sedato, reductio tentanda. Cum enim per V. S. partes inflammatae relaxentur, tunc quidem temporis sæpissime intestina, quæ antea adhibitis omnibus licet auxiliis reduci non potuerunt, momento citius reponuntur. Ubi relaxatio intestinorum summa reductionem impedit, consilium multorum non spernendum est, omissis calidis emollientibus, quæ magis relaxant, frigida, adstringentia applicanda [u], imo etiam interne purgantia fortiora propinanda esse, quæ intestina ad stimulum, & contractionem majorem incitent.

§. XIX.

His in tempore adhibitis (§. 18.), sæpe ab orco revocatur æger, quod si vero ita fortiter impacta sint intestina, si incarceration, adhæsiō, vel immobilitas adeo constans, ut nihil non, quod pro reductione hætenus tentatum, irritum fuerit, sicque inflammationis augmentum & gangræna metuenda (§. 16.); tunc temporis nihil aliud consilii superest, quam ut ad alterum scopum, quem in reponenda hernia (§. 17.) præfixum habemus,

C o 2

[s] Gœlicke *Diff. cit.* §. 30.[t] *Gunz* l. c. p. 74.[u] *Essais de Medecine d'Edinbourg Tom. V. p. 357. Gunz p. 36. Vogel p. 101.*

bemus, properemus, qui *mediante prævia operatione* peragitur. Quam ut rite instituat herniotomus ad ea quæ ante operationem, in ipsa, & post eandem ipsi agenda sunt, probe attendat. Antequam ventralis herniæ operationem subeat æger, corpus ipsius præparandum per laxantia Rhabarbarino Mannata, diætam convenientem, clysteres, quo impuritates e primis viis & corpore eliminantur, nec insuper habendæ V. S. quibus spasmi & tensiones relaxantur, plethora imminuitur, sanguini sic æqualis circulus procuratur. His ita à parte ægri perfectis, tempus commodum operationi destinandum locusque lucidus lecto in medio cameræ posito seligendus, huic lecto ita imponatur æger, ut resupinus collocatus, pectore & coxis demissioribus, abdomine vero elatiori constitutus sit, si nempe in linea alba tumor existit (§. 10.); si vero in latere est hernia, in oppositum latus ad marginem lecti collocandus est æger, ministri ab opere ita distribuendi, ut unus, ad caput ægri locatus, illud una cum pectore sustineat, alter inter crura ad ea firmanda locetur, tertius minister in latere herniæ opposito ad necessaria operatori instrumenta porrigenda situs sit. Apparatus, quo ad hanc operationem perficiendam instructus sit herniotomus, sunt quæ sequuntur instrumenta, scalpellum rectum, *bistouri droit*, à Gallis vocatum, aut cultellus incisivus, forfex cum nodo, specillum fulcatum, & aliud latum, scalpellum quoddam cum nodo, *bistouri à bouton* à *Dn. Petit* inventum, acus duæ chalybeæ cum filo sextuplicato, pannus vel sericum in modum bacilli convolutum, Gallis *chevilles* dictum, plumaceola, splenia, vincituræ, mantile cum scapulari, *la serviette avec le scapulaire*, bals. Arcæi, embrocatio ex ° , rosar. & chamom. ¶ l. VRiff*.

§. X X.

Quæ cuncta, si ad operationem præparata sint (§. 19.), Herniotomus operi sese accingens locum abdominis, in quo hernia ventralis sese manifestat (§. 12.) examinans, pro ejus diversitate diverso modo incisionem facere debet, ita quidem ut tractum fibrarum semper sequatur, sique tumor in linea alba supra vel infra umbilicum in interstitiis musculorum rectorum, vel in ipsis musculis rectis apparet, plaga recta incisio instituenda, si vero lateraliter in regione epigastrica, vel hypogastrica, in obliquorum, vel transversis fibris observatur, obliqua sectio fiat. Operator igitur pollice & indice manus sinistræ, & minister digitis manus sinistræ cutim elevat, intentamque sic cutem scalpello recto una cum panniculo adiposo caute incidit, fibræ musculares eodem quoque modo per incisionem caute dissecantur & præcipue, si nullus adest sacculus (§. 9. n. 5.), suspensa manu incisio peragenda, ne viscera læsionem incurrant. Si vero sacco involuta sunt, quando usque ad peritonæum, sacculus herniæ formans (§. 8.), perventum est, introducto super sacculum herniosum specillo fulcato, quod huc illucve agita-

* Spiritus vini rectificatissimus.

tur, incisio scalpello cum apice, vel scalpello elastico, *bistouri herniaire de M. le Dran* dilatanda, ut sic tota hernia appareat, quæ quidem, si ingentis molis est (§. 13. n. 3.), transversim tunc eodem modo cutis cum musculis incisione dilatanda est, ita ut crucis formam referat, adhibita undique hac cautela, ut dilatatio nusquam plus, quam opus fuerit, fiat, quia membranæ aponeuroticae difficulter consolidantur, quæ vero hic evenit hæmorrhagia, parva admodum est, & nodo *B li* vel *VRiss.* atque si forte vasa epigastrica læduntur, ligatura facile compefcitur, cellulæ postea & laminæ adiposæ subjacentes, quæ faccum externum faciunt (§. 8.), vel unguibus discerpentæ, vel instrumento, *dechauffoir* dicto, dedolantæ, ut sic faccus, qui in hernia nostrate ut plurimum basin latam habet (§. 14.), undique denu-detur. Denudato itaque sacco ipso herniario, prudentis Chirurghi est, in quonam statu faccus & contenta ipsius sint ante inquirere, quam ulterius pergat. Si intestina & omentum pressioni cedunt, libera esse indicium est (§. 13. n. 4.), & statim tunc eorum repositio, intestinorum prius, dein omenti perficienda. At faccus herniæ, licet pars membranacea peritonæi sit (§. 8.), hincque elastica (§. 5.), resilire tamen amplius non potest (§. 17.), verum, cum elaterem suum perdidit, ut reponatur necesse est. Atque secundum *Petiti* quidem methodum [x] in omni hernia reponendus esset, ut novo hoc modo prolapsi obex ponatur, quod tamen consilium tuto semper imitandum non est, atque eo solum in casu, ubi partes inclusæ liberæ, mobiles, integræ sunt, locum habet. Potest vero incarcerationio herniæ adeo jam invaluisse, ut partes in tumore impactæ, omentum nempe & intestina, inflammatae & gangræna affectæ videantur, vel ab exudante liquido cum sacco agglutinatae sint. Quod dum per signa (§. 14.) conjicimus, ad ipsam aperturam sacci properandum, arrepto nempe apicibus digitorum pollicis & indicis, plaga parva infertur, introducendo postea digitum indicem, & super eo scalpellum cum nodulo, uno tractu faccus dilatetur, qua methodo adhibita, Gallis familiari, scalpello illo elastico carere commode possumus. Tunc verò partes inclusæ probe examinandæ, sique omentum in conspectum primum prodit, illud interdum corruptum, & putrefactum ibi deprehenditur, quod ordinarie in parte, supra corruptam sana, filo ligatur, & sub ligatura refecatur [y]. Intestina, si flatibus aut fecibus distenta (§. 15.), major tunc eorum portio eximenda & stercorales materiæ dividendæ, posteaque si sana sunt, ea qua exierunt serie reponenda. Si corrupta, vel gangræna affecta deprehenduntur intestina, res quidem ægri in vado non est, verum non ideo statim conclamata habenda, partes potius intestinorum

C c 3

gan-

[x] Quam *Garengeot Operat. Tom. I. p. 368.* proponit, & simul casum de furore hernia ventrali laborante adducit, qui facta operatione a *Dn. Petit* & reposito sacco integro, vix quinque diebus elapsis, cum sanitate in gratiam rediit.

[y] *Gunz* l. c. p. 55. omentum non ligandum, sed solum abscindendum suadet. *Epi-plocelen ventrali m. suppuratam, vigesimo post operationem die, subito lethalem annotavit le Dran Observ. T. II. Obs. 63.*

gangræna affectæ forfice abscindendæ, auferendæ, & quousque gangræna serpit extirpandæ, quo facto orificia intestinorum ad latus vulneris affluenda, quæ labiis vulneris agglutinata anum artificialem sic relinquunt [z]; vel, ut aufus nobiles *Præfidis Academ. Reg. Chirurgiæ Gallorum DN. de la Peyronnie*, cujus nomen jam elogium est, imitemur [a], qui intestini resecti extrema filo mesenterio injecto ad se invicem adduxit, sicque canalem hunc, oris iterum unitis, integravit, herniamque ablata magna licet portione intestini, novo sed felici tentamine absque fistula curavit [b]. Cujus intenti possibilitatem probarunt etiam intestina in hernia præpostere loco bubonis vel abscessus aperta [c], vel incarcerata suppurata, quæ sæpe rursus ita coaluerunt, ut nullum ulcus in intestinis remanserit [d].

§. XXI.

Si facci nimia angustia incarcerationi ansam præbuit (§. 15.), vel partes, succo ex interiori extillante, coalescunt, sacco adhærent (§. 9. n. 3.), utrumque repositioni obstat. Hæc cum operationem morentur, ut facci angustia per incisionem cum scalpello dilatetur & ut adhæsiō dorso scalpelli separaretur, necesse est, id quod in parva portione adhærente facile fit; si vero magna pars omenti vel intestinorum adhærescit, separatio hæc nullo alio modo fieri potest, quam si, abdomen magna plaga incidendo, partes undique ubi accretæ fuerant, nova & peculiari methodo, quam pauci calcarunt, caute separentur [e]. Repositis sic omento & intestinis, sive integris, sive abscissis & unitis (§. 20.), sive etiam separatis, latera tunc aperti facci, ablatis undique per septica excrecentiis, ad annulum agglutinantur, faccus occluditur. Vel quibus *Sensii & Vogelii* modus placet [f], faccus injecto vinculo constringitur, & sub ligatura abscinditur; qua quidem singulari encheiresi hi viri herniæ curationem radicalem perfici asseverant, dum latera constricti facci sese uniant, consolidentur, indurentur, & novo descensui obicem ponant, cicatrifatis interea etiam musculis atque integumentis. Pari cum his passu ambulant, eæ herniæ, in quibus faccus deficit (§. 13. n. 5.), uti in rupto, vel vulnere discisso peritonæo id contingit (§. 15.): ubi quidem

[z] *Mem. de l'Acad. des Scienc. 1701. p. 373.*[a] *Mem. de l'Acad. des Scienc. A. 1723. p. 43. Mem. de l'Acad. de Chirurg. Tom. I. p. 241. Essais d'Edinb. Tom. V. p. 547. Montabourg Quæst. Med. Paris. 1742. utrum in herniis intestinalibus, etiam cognita intestini prolapsi læsione, operatio celebranda? §. v.*[b] *Mem. de l'Acad. des Scienc. A. 1723. p. 43. ubi dimidio pollice intestini abscisso, intestini ora tamen univit. Mery Mem. de l'Acad. des Scienc. 1701. p. 373. & Ramdohrius Commerc. Litterar. 1731. Spec. 26. in desperata hac causa auxilium quoque tentarunt.*[c] *E. N. C. Dec. I. A. 9. & 10. p. 360. Gunz l. c. p. 56.*[d] *Vid Heist. Diff. allegata.*[e] *Deckers Observ. Med. p. 453.*[f] *Vogel l. c. p. 184.*

dem eodem modo, ac si faccus apertus fuerit, procedendum, & parietes rupti peritonæi ad anulum itidem agglutinandi sunt. Rara illa hernia ventralis, inter ipsas recti fibras sese manifestans (§. 12.), eodem fere modo curatur, facta super tumorem incisione per longitudinem usque ad vaginam rectorum, quæ finditur, atque fibræ musculares tunc dividuntur, cavendo, ne inscriptiones tendinosæ (§. 4. n. 4.) dissecentur; sicque denudata hernia, quæ raro habet faccum, reponitur [g].

§ XXII.

Quam de operatione herniæ incarceratæ (§. 20.) & adhærentis (§. 21.) tradidimus methodum, nullo exemplo dignius illustrari potest, ac operatione quadam à sæpe laudato DN. *le Maire* peracta, quæ ob facti singularitatem, & operationis præstantiam locum hic meretur. Abhinc duodecim circiter annis femina quædam in quarto graviditatis mense constituta jam per quatuor antea annos duos tumores in regione epigastrica sinistra gestabat, quorum unus longitudinem cristæ ossis ilium occupabat, quem vehementius saltando contraxerat, teste acuto doloris sensu tunc percepto, quasi ex rupta ventris parte, huic succedebat tumor alius magnitudinem nucis dimidiæ æquans, qui nunquam disparuit, & sensim absque sensu adauctus fuit, ita ut omnibus licet ad reductionem adhibitis remediis tamen non cesserit. Octo mensibus præterlapsis, novus tumor sese manifestavit super os pubis ad latus pyramidalis musculi, saltando itidem provocatus, atque hic admodum distinctus appendicem, caudæ in modum, formabat, quæ ad labia pudendorum usque devolvebatur, & tertius hic tumor ob volumen suum ægræ maximum incommodum faciebat. Quicumque ægram hanc visiterunt, de morbo ejusque nomine pronunciando dubii hærebant, donec uno momento, post vomitiones fortes, tumor prior multum adauctus, intestinum in rupto peritonæo incarceratum atque symptomata singultus, vomitus, constipationes alvinæ, de hernia incarcerata nullam amplius dubitandi rationem reliquerint. Post triginta sex ab incarceratione horas in consilium vocatus DN. *le Maire* stupuit videndo tres tumores sibi admodum vicinos, & ruptionem peritonæi pro causa exitus accusans, absque operatione nullam salutem esse futuram pronunciavit, quæ tamen per viginti quatuor adhuc horas differebatur, balneis interim & V. Snibus ab eo auxilii loco propositis, quæ dum administrarentur, præsentis interim chirurgi diversis temporibus repositionem, irritum tamen semper cum conatu, tentarunt. Dum vero inflammatio augeretur, operationem amplius differre iniquum censuit noster, & cum tumor supra pubem ad pyramidalem carnem omnium maximus existeret, cujusnam sectionem primus ingrederetur anceps hæsit, consilii tamen capiendi promptus illum aggressus est, qui primus sese declaravit. Ut operationem inchoaret, integumenta quantum possibile fuit, ad primam incisionem facien-

[g] *Le Dran Operat.* p. 146.

faciendam, elevavit, dorsum scalpelli dein abdomini obvertendo, plagam lateralem ad latus secundi tumoris infixit, ut eo melius secarentur tegumenta, denudato epiploo eodemque separato intestinum immutatum & cum epiploo coalitum invenit, ut unguium ope hæc adhæsiō separanda ipsi fuerit, atque omentum ipsum cum aponeuroidibus musculorum abdominalium ita arcte adhæsit, ut vix hiatus concederit, per quem scalpello elastico pro dilatatione faciendâ introducendo locus fuerit, incisio insuper ob gravidum ægræ statum magna nimis fieri non potuit. Intestina postea fomentatione aromatica fota, & ab epiploo separata, feliciter reducta fuere, quod ut facilius præstaretur ægram ad latus dextrum ob uteri situm inclinari iussit. Quod cum perfecit ad lustrandum secundum tumorem pedem promovit, & plaga transversa paululum prolongata, an inibi intestinum etiâ incarceratum esset, inquisivit; sed nudato tumore nil nisi epiploon invenit, quod facile sequebatur, & quo magis illud attraxit, tumor semper imminuebatur, pars epiploi prolapsa uncias ad minimum tres æquabat, tertia quoque hernia, quæ usque ad pudenda protendebatur, itidem imminuebatur. Labor hic longus & ægræ dolorificus de scena claudenda cogitare fecit nostrum, non omnem igitur epiploi separationem absolvit, cumque in tumore supra pubem nulla intestina subessent, epiplocelen quæ remanebat intactam reliquit, ægramque deligavit, reliqua ab artis magistro perficienda posteris deligationibus reservans. Variis sic sectionibus ægra tam feliciter curata est, ut fatum legitimo termino saluum in lucem emisit. Difficili huic operationi non modo honorificam suam præsentiam, verum imprimis prudentissimum suum consilium accommodavit *vir Magnus* DN.D. & P. *Job. Jacobus Sachsus*, cujus ob grandia in praxi medica monumenta immortale lucet nomen, alius insuper medicus famigeratissimus, & quatuor chlurgi adstiterunt.

§. XXIII.

Cum prisca jam temporibus de hernia ventrali constiterit (§. 10.), de antiquissima eam operandi methodo, *Celsi* præcipue, mentio injicienda est, qui cum de ea quæ rupto peritonæo fit, loquatur, varias curationes proponit. „ Quidam enim secundum ipsum [b] per acum duobus linis ad imam „ basin immisissis sic utrinque devinciunt, quemadmodum & in umbilico & „ in uva positum est, ut quidquid super vinculum est emoriatur: Quidam „ medium tumorem excidunt ad similitudinem myrtacei folii, & tum oras „ sutura jungunt &c. ” Verum enim vero hæc methodi rem adeo non exhauriunt, ut potius metuendum sit, ne per transmissionem acus intestina constringantur, lædantur, pari modo ea methodus quæ per ligaturam tumoris fit, incerta est, quia consolidatione nunquam bene peracta, facile con-

[b] *Lib. VII. Cap. XVII. lin. 22. p. 454. edit. Almeloveer, quæ curatius denuo Lugd. Batav. 1746. prodiit.*

continui solutio, atque nova sic hernia oriri potest [i]. Præter has per ferrum curandi methodos, veteribus etiam per ignem & per caustica curabantur herniæ, quod nostris temporibus exolevit, paucis, qui eos hodie adhuc imitantur, exceptis [k].

§. XXIV.

His ita ad implendam primam *indicationem* peractis (§. 17.), ad *alterans* pedem promovere debet chirurgus, ut nempe de repositis partibus in situ suo continendis sollicitus sit. Quæ quidem indicatio si per taxin aliter, quam si post præviam herniotomiam repositio facta fuit, perficitur. Atque si faccus integer repositus fuerit (§. 20.), cum peritonæum semel laxatum raro elaterem suum naturalem iterum acquirat (§. 15.), ut cinguli vel fasciæ infar, uti antea abdomen arcte contineat; quod cingula naturalia à tono dejecta (§. 2.) præstare amplius non valent, illud per artificialia supplendum est. Statim quidem post factam taxin deligatio fit splenio in embrocatione intincto & pannis aliis gradatis, vel etiam in castris charta bibula, quibus fasciæ quatuor ad minimum digitos lata cum scapulari injicitur, atque quies, situs tranquillus, & victus tenuis ægro per aliquot septimanas imperandus, ut tonum partes resumere queant. Post aliquot dein dies vincitura conveniens ægro immittenda, quæ consistit in bracherio, pila nempe è ligno tiliæ linteis duplicata, cui cingulum latum, tale quale veredarii, *les couriers*, utuntur, adnectitur, quod abdomen ambit. In junioribus locus embrocationibus bene inungitur, tumque emplastrum quoddam ad hernias [l] atque tunc fasciæ cum pila imponitur, cujus emplastri usu lamellæ sacci inter se coalescere possunt, si simul interne decoctiones vulnerariæ, aut adstringentia propinantur [m]. Quibus omnibus in infantibus & junioribus ob succos magis laudabiles & faciliorem elateris restitutionem, curatio radicalis absque metu novi prolapsus, vel continuo bracherium gestandi, peragitur. In ea specie ventralis herniæ, quæ alias ventriculi vocatur, per inunctionem tumoris cum adipe taxino in pueris eam curatam fuisse memorant [n], sed vincitura insuper injicienda atque victu tenui, parco, potu aromatico, roborante utendum, atque magni procul dubio usus erit bracherium; quod

[i] Heister *Inst. Chir.* p. 800. Dion. l. c. p. 120.

[k] *Edinb. Essays* Vol. V. p. 371. *Cel. Van Swieten Comm. in Apb. Boerb.* Tom. I. p. 624.

[l] Quale illud, quod cum arcano suo nempe ☉ rectific. communicavit *Prior de Cabrières*, compositionem huius tradit *Dionis* p. 317. *de Launay des descentes* p. 64.

[m] Talia sunt consolid. sarracenic. & perfoliatæ usus in juseculo cum axung. gallinæ melle & butyro majali *E. N. C. D. I. A. 3.* p. 527. succo Absynthii, *D. III. A. 2.* p. 61. per alia medicamenta *D. I. A. 3.* p. 527. 551. Superstitionem redolet, herniam transilitione ter repetita per tiliam, vel quercum, vel salicem fissam, curatam fuisse *Aët. Hæst. Vol. II.* p. 164. *Juncker Consp. Chirurg.* p. 206.

[n] *Gunz* l. c. p. 74.



pro continenda hac hernia à DN. *de la Peyronnie* [o] promittitur. Sic uti in ventralibus à rupto peritonæo contingit, quod nimia moles sit partium prolapsarum (§. 13. n. 3.), ut reponi integre nequeant, vel si partes elapsæ adhæreant (§. 13. n. 4.), quo ipso itidem iis reponendis obex ponitur; per cingulum quoddam, vel vincituram aliquam contentivam dictam suspenduntur, in situ suo continentur, sicque alleviantur [p]. Atque si multiplex est hernia, cingulum latum cum corio duplicatum, *une large ceinture de cuir matelessée*, ad eam retinendam, secundum DN. *le Maire* suadetur. Si immobilis est hernia, pila concava adhibenda, in qua partes commode tanquam in sinu locatæ, à pressione defenduntur, quod sæpe cum successu à me factum, & à *le Dran* etiam in epiplocele ventrali comprobatum fuit [q].

Imo herniæ quædam ventrales immobiles absque cingulo innoxie quandoque per vitam gestantur, quod DN. *le Riche* in viro quodam militari observavit, qui cum magnum spatium pedibus junctis saliendo emetiri vellet, lapsus est, & eo ipso momento dolorem acutum cum tumore ad latus dextrum abdominis duos transversos digitos supra anulum obliqui sensit, hic tumor intra viginti quatuor horas magnitudinem ovi anatis adæquabat, accedens DN. *le Riche* ipsi lectum & varia appropriata remedia imperavit, cum vero non emolliretur tumor, ut reponi posset, ipsi tumorem hunc ita per dies vitæ gestaturum, prædixit. Per decem deinde annos absens, postmodum iterum curæ ipsius propter alium morbum sese credidit, ubi tumorem nec auctum, nec imminutum deprehendit DN. *le Riche*, licet suavis aliorum interea terras minerales resolutivas applicaverit, frictions etiam scissiles ex aliorum consilio, qui eum pro hernia non habuerunt, adhibuerit.

§. X X V.

In illa herniæ ventralis specie, ubi plane nullus adest faccus (§. 21.), vel ubi in operatione apertus fuit (§. 20.), utroque vero modo vulnus abdomini inflictum fuit, repositæ partes in situ continentur per ligaturam facci (§. 21.) atque gastroraphiam postea, uti in magnis abdominis plagis fit, administratam, tunc vero plumaceolus Bals. Arcæi imbutus & glomus DN. *Petit*, vel glomus molliusculus, *une pelotte mollette*, juxta DN. *le Riche*, turundæ loco vulneri imponitur, totum abdomen embrocatione ex .o. rosat. c. vitell. & alb. ovi inungitur, & demum splenium vini intinctum applicatur, cui dein deligatio cum mantili & suo scapulari finem facit. Vulnus hoc quotidie inspiciatur, & antequam glomus extrahatur, pus cum sindone è vulnere educendum, quod tandiu fit, donec faccus cicatrice clau-

[o] *Mem. de l'Acad. de Chirurg.* p. 701.[p] *Dionis* l. c. p. 112. 121.[q] *Le Dran* T. II. p. 65.

claudatur, imperata semper quiete in lecto, & continuato interim regimine moderato, victu tenui, levi, inducta demum cicatrice subligaculum debitum applicandum, quale *Heisteri*, fascia nempe instar cinguli cum scuto facta & *Tab. 24. fig. 6. in Chir. inst.* adumbrata, esse potest.

§. XXVI.

Quæ cum ita per artem peracta fuerint, præcipua Chirurghi cura in modo, ægrum ab hoc morbo in posterum præservandi, versari debet, quod tam in Taxi, quam Herniotomia opus est; cumque partes membranaceæ læsæ, vel nunquam plenarie, vel tarde tamen coeant (§. 15.), optimam *prophylaxin* posteriori in casu in bracherii per quoddam tempus in junioribus (§. 24.), ad dies vitæ in adultis gestatione consistere, usurpatis externis & internis consolidantibus, censemus. In priori casu prolapsus vincitura itidem optime præcavetur. At cum secundum quosdam hoc palliativum solum sit remedium, propterea hinc operationem omnibus, qui herniam gestant, subeundam suadeant, sive libera illa sit (§. 21.), sive incarcerationa, attamen quamdiu symptomata non urgent (§. 18.), aut si eadem mediante subligaculo præcaveri possunt, tutam hæc curationem, palliativam licet, ancipiti, radicali quamvis, anteponendam esse, cum pluribus medicis sentientibus concludo.





DIS-



LXIX.

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE
HERNIA VENTRICULI.

Quam tuebatur

PETRUS KIRSCHBAUM,
NENTERSHUSANUS.

Argentorati 25 Septembris anno 1749.

D d 3

